Linguæ ſuæ cognitionem habet, profecta hæc inſcriptio neutiquã eſt. Quid ſi vero prorſus confictam & ſuppoſititiam eandem nuncuparemus? nihil ſanè à veritate dixerimus alienum, quemadmodum ficta hujuſmodi Judæorum monumenta paſsim extant. Talia quædam (proantiquiſsimis venditatâ) eruta feruntur prope Viennam in pago Gumpendorff, quorum unum annos à Creat. refert MMDLX. nimis ſane aperto mendacio, Inſcriptio hæc eſt:

מרדכי גבור הגדול ..... בשנת
מיבריאת עולם א"א ק"ה ס

MARDOCHAI VIR FORTIS, ET MAGNUS, (mortuus ſc. & ſepultus eſt,) ANNO A CREAT. MUNDI MMDLX.

Adeoque poſt latam Legem Anno DLX.

Aliud quoddam EPHRAIMI Sacerdotis Epitaphium, in agro quoque Viennenſi erutum, annos à condito Mundo MMMDCCCXCIX. exhibet. Sic monumentum illud Judaicum, (pro cujus γνησιότητι pugnat *Villalpandus*, Tom. II. p. II. in Ezech. p. 544.) ad Arcis Saguntinæ portam, ſeculo ſuperiori effoſſum, & ADONIRAMO Salomonęi ærarij præfecto poſitum.